Libertinarum dico: Sallustius in quas
Non minus, quam qui moechatur.
Quid? quod alius, nescio quis Christianorum, me hominem nequam salutet. Omnis nostra vis, ait in animo & corpore sita: animi imperio minus, corporis servitio magis utimur. O si ita vixisset Sallustius, ut locutus est! Servivit autem foedissimis voluptatibus, suamque ipse sententiam vitae pravitate dissolvit. Non abluit Symachus, his quidem verbis usus: Ita statuit ~~Scriptor~~ stylo tantum probandus: nam morū damna non sinunt, ut ab eo agendae vitae petatur autoritas. Nec erubuit disertissimus de septem montibus Orator mensarum aseclam, cubiculorum pellicem & adulterum me regerere. Sunt & alii, qui maculam hanc inurere mihi haud dubitant, quod ob perpetratum adulterium ab Appio Claudio Pulchro & L. Calpurnio Pisone Censoribus è Senatorum numero delatus fuerim. Sic igitur in me verè quadrat, quod vulgò dici suevit:

— — Laudatur ab his culpatur ab illis.

Vituperor videlicet à multis ob vitia, quae in corrupta Civitate assumpseram; ita tamen, ut nec succumberem, nec illis per omnem vitam frena laxarem. Atque cum in viam redîssem, propter Civium improbitatem & factiones multa adversa perferre cogebar. Quicquid sit, ego tamen non paucis quoque laudor. Laudor ob excellens & acre ingenium, quod ut in studiis literarum accuratum erat, ita maximè in scribenda historia. Praeceptorem habui inter alios Atteium Praetextatum, qui Philologum sese appellabat, & ab eo de recta ratione scribendi edoctus sum, ut à Suetonio Tranquillo dubio procul accepistis. Maximè autem M. Catonis fui studiosus, utpote ex cujus Comentariis verba excerpsi,